



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

5. Imperatores, Reges, Principes, & alij à clericis, & bonis ecclesiasticis  
taleas, aut alia onera exigentes graves poenas incurrunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

proventuum, vel bonorum laicis solverint, vel promiserint, vel se soluturos consenserint, aut quamvis aliam quantitatem, portionem, seu quotam ipsorum proventuum, vel bonorum æstimationes, vel valoris ipsorum, sub adjutorij, mutui, subventionis, subsidij, vel doni nomine, seu quovis alio titulo, modo, vel quæsito colore, absque auctoritate Sedis Apostolicæ, necnon ¶

5. Imperatores, Reges seu Principes, cives, Comites, Barones, Potestates, Capitanei, vel officiales, aut Rectores quocumque nomine ceaseantur, civitatum, castrorum, seu quorumcunque locorum ubilibet constitutorum, & quivis alij seu juscumque præminentia, conditionis & status, qui talia imposuerint, vel exegerint, vel receperint, apud ædes sacras deposita ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum ubilibet arrestaverint, saisiverint, seu occupare præsumperint vel arrestari, saisire, aut occupati mandaverint aut occupata saisita, seu arrestata receperint, ac omnes, qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte eo ipso sententiam excommunicationis incurrunt: Universitates quoque quæ in his culpabiles fuerint, ecclesiastico supplicantur interdictio, *cap. clericis laicos. §. nos igitur. de immun. eccles. in 6. d. cap. non minus. in fin. cap. adversus consules, extra eo. & clem. unic. eo.*

Eodem privilegio immunitatis gaudent ¶ clericorum servitores, & qui sunt in ministerio ipsorum, qui gaudent privilegio ipsorum dominorum, non principaliter propter se, sed propter favorem suorum dominorum *l. 1. & 2. C. de epic. & cleric. & ibi Bald. in d. l. 2. num. 2. Conc. Tolet. 3. & clem. in cap. Ecclesiarum, 12. quæst. 2. &*

ibi gloss. in ver. clericorum, Sunt autem in ministerio clericorum coloni eorum bonacolentes, Rebuff. in l. 1. C. de colo. Thracen. nu. 3. lib. 11. & Innoc. in d. cap. non minus, nu. 3. in fin. de immunit. Eccl.

Et quod attinet ad colonos, quamvis videatur, quod non sint exempti, quia, licet colant possessiones ecclesiæ, non excusantur in adventu Principis, quin personaliter interserviant, Innoc. in d. cap. non minus, nu. 3. & ibi Abb. num. 14. post. med. & etiam tributa solvere teneantur. *l. hi penes*, & ibi Bart. num. 1. & Rebuff. num. 1. & 2. C. de agric. & cens. l. 11. est casus specialis, quod in adventu Principis interserviant, comprehendens colonos liberos interservientes ecclesijs pro mercede, ut declarat Abb. in d. cap. non minus, eod. num. 14. in fin. Tributa autem solvere tenentur non pro colonia, sed de prædijs, & bonis propriis, quæ suo nomine possident, & proprio nomine in libro catastro sunt descripta, Rebuff. in d. l. hi penes quos, num. 2. & 3. sed pro colonia, licet Fed. de Sen. com. 111. quæstio talis est. num. 10. conetur probare partem contingentem colonos bonorum ecclesiasticorum, quamdiu dicta bona excolunt, ad tributorum solutionem teneri, hoc procedit in datijs, & gabellis persolvendis, quæ pro fructibus à solo separatis partem ipsos colonos contingentem, si eam vendant, persolvere tenentur, ut post Feder. Rip. & alios quos citat, tenent Burlat. in cons. 25. num. 3. lib. 1. & cons. 42. num. 14. eod. lib. 1. sed à muneribus collectis, alijsque oneribus, quæ personis pro cultura, seu trafico prædiorum imponuntur, coloni prædiorum ecclesiasticorum, occasione eorundem prædiorum ab oneribus sunt exempti, ut post Bald.